





Pri. 56. univ. 11.

1768/58.

23

EXERCITATIO IVRIS CIVILIS
DE
LIBERIS EXHEREDIBVS
IN TESTAMENTO MINVS SOLLEMNI
PARENTVM

1768/58.
QVAM
AVCTORITATE
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS
PRAESIDE

D. FRIDERICO GOTTL. ZOLLERO

COD. P. P. ECCLES. CATHEDR. MARTISB. CAPIT. CVRIAE IN
PROVINCIA SVPREM. IVDIC. LVSTAT. INFERIOR. ORD. ICTORVM
ADSESS. ET ACAD. LIPS. DECEMV.

IN AVDITORIO ICTORVM

A. D. XIII. MAL. A. CIOIOCCCLXVIII.

PVBLICE DEFENDET

CHRISTIANVS GOTTL. RICHTERVS

LICHTENSTEINIO SCHOENBVRGICVS.

LIPSIAE
EX OFFICINA LANGENHEMIA.



LIBRIS EXHIBENTIS
IN TESTAMENTO S. MARCI
TAB. N. 1. V. M.

AVCTORITATE
ILLVSTRIS TORVM SENATUS
D. FRIDERICI GOTTL. SCHLÖSSE
COUNC. A. TORVM SENATUS

IN AVDITORIO TORVM
CHRISTIANVS GOTTL. RICHTERVS
VVICIUS DIRECTVS





DE
LIBERIS EXHEREDIBVS
IN TESTAMENTO MINVS SOLLEMNI
PARENTVM.

§. I.



Quamquam iam pridem, optimi parentis literis admonitus, suauissimorum amicorum sollicitationibus excitatus, ac, si fateri licet, mea ipsius gloriolae qualiscumque aucupandae cupiditate inuitatus, libelli de contouerso aliquo iuris loco conscribendi, ac publice defendendi onus subire, atque adeo, vt aiunt, studiorum Academicorum rationem reddere debebam; plurimis tamen negotiis, atque diurnis laboribus, quibus hucusque erat perfungendum, ita occupatus fui, atque distractus, vt, quidquid huius rei esset, in hoc tempus differre inuitus cogerer. Neque enim solum iuris scientiam ciuilem, viua doctoris voce subleuatus, nobiliorumque Interpretum lectione adiutus,

Pruritus scribendi excusatur.



iutus, hausi, et reconditum illud rerum publicarum ius per-
cepi, sed in primis disciplinae forensis sacris me initiari passus,
scholis, quibus causarum agendarum, ac decidendarum, stili-
que in foro exercendi ratio tradi solet, diu a me neglectis,
operam dedi, adeoque, vt solent tales quasi Mystæ, contra-
cto supercilio, non secus, ac si Curii causa, Coponiique apud
Centumuiros ageretur, cum Actis per urbem cucurri. Nunc
vero, cum res meae aliter non patiantur, vita Academica, Deo
duce et auspice, feliciter transacta, instat tempus, Illustri Phi-
lyraeae, almae studiorum meorum nutrici, valedicendi, ac,
farcinulis collectis, vrbe, tantopere mihi adamata, exeundi.
Quo propior autem est ex Academia abitus, eo maiori me
esse compulsum necessitate video, hanc qualemcumque exer-
citationem non data opera, arteque conscribere, sed festi-
nanti potius iudicio, ac manu in chartam conicere. Quae
quidem ipsa temporis angustia, qua coacto non, quae vel-
lem, sed quae possẽm, publicae aliorum disquisitioni exami-
nanda submittere mihi licuit, etsi animum ab eiusmodi scriptio-
ne detertere debebat; inualefcente tamen in dies magis magis-
que scribendi, inclarescendique pruritu,

Semper ego auditor tantum? nunquamne reponam,

Vexatus toties rauci Theseide Codri?

Impune ergo mihi recitauerit ille togatas,

Hic elegos?

Habet omnino saeculum nostrum non tam clausam veluti, ob-
signatamque naturam, vt morosi quidam, et paullo iniquio-
res ingeniorum aestimatores maligne somniant, quin prouen-
tum eorum ferat satis magnum, qui praecoci ingenio reliquo-
rum inertiam longe oscitantiamque superent. Vidimus enim,
et cum stupore vidimus in conspectum publicum prodire, re-
citationesque habere, quos iurisprudentiam vix primis, quod
aiunt, labris degustasse, in vulgus notum erat. Audiuimus
intonfos pueros, legendo fideliter repetentes, quae auxilia-
trix



trix forsan misericordis hominis manus ipsis vel praescripserat, vel conductum, et ad hoc opus redemptum os in calamum dictauerat: audiimus, et omnium animos subiit inuitatae ingenii felicitatis admiratio. Conspiciebantur, quos dissertationum inscriptiones AVCTORES et RESPONDENTES celebrabant, ac templorum ianuae maribus feminisque commendabant. Neque sane video, cur vanae ipsorum ostentationi hoc non gratificemur: praesertim cum et nostris temporibus *audacia pro sapientia liceat uti*. Egregios vero, si Diis placet, AVCTORES, quos, discendi cupiditate inflammatos, subfelliis doctorum adhuc insidere, et patrem GVNDLINGIVM, HEINECCIVMque teneris manibus terere debebat! Neque tamen minus *magno temporis impendio, magna aliarum aurium molestia laudatio haec constat: o homines literatos! Simus hoc rusticiore titulo contenti: o viros bonos!* Sed ne faciamus ianuam, aedibus ipsis maiorem, age, rem ipsam, cuius causa animum ad scribendum adpulimus, adgrediamur.

§. II.

Disputaturo autem mihi *de liberis exheredibus in testamento minus sollemni parentum* non est animus, repetere ea, quae iam ab aliis satis occupata esse, atque dicta scio.^{a)} Nec inuat igitur, nec vacat, disquirere, an sanctissimae religionis nostrae oracula testamenta probent: sintne iure naturali cognita: unde originem traxerint: quos progressus in republica Romana habuerint: et, singulis testamentis, a rigore iuris communis aut omnino, aut pro rebus et causis, quae circumstant, quodammodo exemptis, quae minus sollemnia, vel privilegio munita Interpretibus audiunt, enarratis, ad quaestionem propositam demum peruenire: quod ante me integris

Censura quorundam scriptorum agitur.

A 3

quatuor

a) De quo genere conscribendarum dissertationum sententiam more suo dixit PETR. BURMANNVS in praef. libro doctissimo de Vestigal. pop. Rom. praemissa.



quatuor capitibus fecit Vir Praecell. ac mei nominis, GOTFR. RICHTERVS, ^{b)} licet in ipso argumento, quod pace eius dixerim, minus recte verfatius esse mihi quidem videatur. Quare iis tantummodo, quae causam nostram maxime concernunt, delibatis, ad ipsam controuersiam de exheredatione liberorum in testamento imperfecto parentum, auctoritate ipsius IVSTINIANI Imp. dirimendam, statim progrediemur. Legant, quibus volupe est, omnino de hoc testamenti genere optimos NOV. CVII. qui locus in hanc rem est classicus, Interpretes, quibus, quoniam Ius nouum in artem, et corpus aliquod doctrinae redegit, elegantes harum rerum iudices praefereunt CONR. RITTERSHVSIVM, ^{c)} et singulares Virorum doctorum, WEIDLINGII, ^{d)} HARPRECHTI, ^{e)} ac RIVINI ^{f)} libellos, ex instituto hac de re scriptos. Videantur etiam, si placet, HARTM. PISTORIS, ^{g)} FRANC. HOTMANVS, ^{h)} et deliciae hominum forensium, STRYKIVS, ⁱ⁾ BERGERVS, ^{k)} atque CARPZOVIVS, ^{l)} qui plerasque circa hanc testandi rationem quaestiones attigerunt. Quod si vero quis infinitam Doctorum multitudinem desideret, quam coaceruare ipsius Doctoris est, non iuuenis, consulat TREVTLERVM, ^{m)} vbi horrenda nomina, quae nec audiui vinqum libenter, nec legi, excitata reperiet.

§. III.

- b) RICHTERVS Diff. inaug. de filio in testam. parent. priuileg. non exheredando, praeside IO. FLOR. RIVINO, habita Lips. 1752.
- c) RITTERSHVSIVS Exposit. method. Nouell. VI, 2.
- d) WEIDLINGII Diff. de testam. quae parent. ex priuileg. Nou. CVII. int. lib. suos condere possunt. Lips. 1701.
- e) HARPRECHTI Tract. de admixtis perf. in testam. parent. int. lib.
- f) RIVINI Disp. de test. parent. int. lib. coram duob. test. cond. respectu extr. perf. inualido. Lips. 1726.
- g) PISTORIS Quaest. Iur. I, I, 2.
- h) HOTMANVS Consil. LIII. seqq.
- i) STRYKIVS Cautel. testam. c. X.
- k) BERGERVS Oecon. Iur. II. 4, 6.
- l) CARPZOVIVS Iurispr. forens. III, 4.
- m) TREVTLERVS Select. Disp. Vol. II. p. 92.



§. III.

Igitur, relictiis rebus omnibus, videamus, necesse est, unde testamenti paterni, quod minus sollempniter inter liberos conditur, repetenda sit origo, et quam late haec facultas ante IVSTINIANVM patuerit, vt postea eo melius constet, quid immutauerit, addideritue Imperator, quibusque ad eum quasi finibus iure Iustiniano regatur. ^{Constitutiones Imp. de testamento minus sollempni parentum ante Iustinianum recensentur.} Ac primum quidem CONSTANTINVS M. ⁿ) defuncti parentis dispositionem inter omnes heredes suos, ex quolibet venientes gradu, vel emancipatos, quos praetor ad successionem vocat, tanta auctoritate munierat, vt, siue testamento, vel coepto tantummodo, neque impleto, siue codicillis, seu epistola, siue quocumque alio modo scripturae, quibuscumque verbis, vel iudiciis, seu, vt Imperator in Codice Theodosiano loquitur, *solis nixa radicibus voluntatis*, contineretur, quamuis sollempnitate legum destituta, exclusis extraneis, iudicio familiae eriscundae custodiretur. Quare, sicut testamentum, iure militari notis dictatum, valet, ^o) etsi alioquin tabulae notis scriptae Edicto haud contineantur: ^p) ita et pater in lege de pecunia sua ferenda, CONSTANTINI indulgentia, eadem scribendiratione vti poterat. Quam quidem latissimam, nullisque plane limitibus circumscriptam testandi facultatem, a CONSTANTINO soli patri concessam, THEODOSIVS
et

ⁿ) L. 16. et 26. C. *fam. erisc.* quarum alteram ita adduximus, vti in nostro Codice expressa legitur. Quam vero manu Triboniani interpolatam esse, patet ex L. 1. *Cod. Theod. h. t.* Tom. I. p. 222. Edit. RITTER. in qua Constantinus haec tantum de *suis* sancit, quae postea ad emancipatos quoque interpretatio fori, vt fieri solet, porrexisse videtur. Nihilominus tamen iam Constantino nominatim id tribuere audeat Iustinianus in: Nou. CVII. Quare Tribonianum lectori fucum facere ait, eoque nomine flagitii in interpolandis veterum principum constitutionibus accusat, Iustiniano autem ipsi stuporem succenset, qui in interpretando iure ciuili principatum tenet, IAC. GOTHOFRE-
DVS ad l. c. p. 223. seq.

^o) L. 40. D. *de test. mil.*

^p) L. 6. §. 2. D. *de bon. poss.*



et VALENTINIANVS AA. ^{q)}) matri etiam, et omnino adscendentibus vtriusque sexus, inter descendentes testantibus, indulserunt. Quo nomine censuram mereret Consult. RICHTERVS, ^{r)}) THEODOSIVM illud ius ad solam matrem protulisse, ratus. Etsi enim Impp. parentum tantum, ac liberorum mentionem faciunt; vtraque tamen adpellatio in iure nostro tam late patet, vt illa non patrem tantum et matrem significet, sed ad omnes superiores, siue per paternam, siue per maternam cognationem coniunctos, vsque ad tritaum, porrigatur, hac autem nepotes quoque, caeterique, qui ex his descendunt, contineantur. ^{s)}) Nec vllam dubitationem relinquit disertia IVSTINIANI vox: ^{t)}) ἡ Θεοδοσία προσδιορίζεται, ἐν ἐπιπατέρων μόνων ταῦτα διατυπῶσα, ἀλλὰ καὶ ἐπιμητέρων, καὶ ἐπιἀνιόντων ἐκατέρως φύσεως.

§. IV.

*Constitutio
Iustiniani de
restatione im-
perfecta pa-
rentum expli-
catur.*

Hac impotenti testamenti inter liberos faciendi licentia adscendentibus vsque ad annum XV. Imperii Iustiniani licuit vti, in quem NOV. CVII. iuri Codicis derogantem, WIELINGIVS ^{u)}) refert. Nam cum multi beneficio suo abuterentur, tanta verborum obscuritate testati, vt in eo genere saepe

q) L. 21. §. 1. C. de testam.

r) RICHTERVS Diss. paullo ante laud. Cap. V.

s) L. 4. §. 2. D. de in ius voc. L. 51. et 220. D. de V. S. et ibi GOEDDAEVS. Conf. BRISSONIVS de V. S. h. v.

t) Praef. Nou. CVII. Cum graecus Nouellarum textus maximam partem intellectu facilior sit, quam qui versione indigeat, nudum, vbi necesse videbatur, adduximus. Quibus displicet Interpres, Glossatoribus olim acceptus, ac propterea auctoritate fori munitus, HOMBERGIVS placebit; nisi forsan adhuc reperiantur, qui cum STRAVCHIO, LVDEWIGIO, atque aliis latinam interpretationem, tamquam textum authenticum, adgnoscant, quod suo cuiusque iudicio permittimus.

u) WIELINGIVS in Ind. chron. Nou. p. 170. Iurispr. Restit. Subscriptiones variant. CONTIVS 1571. et GOTHOFREDVS anno XIII. HALOANDER vero XIV. Nouellam adscribunt. Nos Wielingium, in chronologia legum perquam accuratum, sumus secuti.



saepe diuinatione magis esset, quam interpretatione opus, et exinde trifissimae inter liberos discordiae orirentur; IVSTINIANVS, omnem dissidiorum occasionem praescissurus, nouam de testamento parentum inter liberos, ^{x)} quod a sollempnibus iuris communis abludit, legem tulit. Qua quidem primum sancitum esse legimus, vt *testator scribendi artem calleat, testamentique tabulas ipse scribat*. Addunt quidem Interpretes, quos legi, plerique omnes, testatorem tabulis, a se ipso non scriptis, saltem subscribere teneri. Quod etsi in testamento sollempni necessarium, ac, testatore scribere plane nescio, subscriptione adeo octaui testis opus esse, haud infirior; ^{y)} disiuncta tamen enunciatione in ipsa Nouella nondum a me inuenta, non video sane, quare testator, vel testatrix a scribendi necessitate liberetur. *Mutasse quidem mentem suam IVSTINIANVS, ^{z)} atque necessitatem, nomina heredum sua manu perscribendi, his etiam, qui sollempniter testantur, remississe dicitur. Magis ergo, ait Vir ille magnus, et idem in foro, qui M. Tullius in schola, eandem esse in testamentis minus sollempnibus remissam. ^{a)} Ait scilicet! et STRYKIVS etiam de usu fori testatur. ^{b)} Sed primum a sollempni testamentorum ratione ad minus sollempnem conclusio non valet: deinde caput illud NOV. CXIX. de scribendis modo heredum nominibus loquitur, NOV. CVII. autem plura momenta, quam heredum nomina, in hoc vltimae voluntatis genere postulat: denique*

x) Quibus nec propinqui, nec vxor, nec alumnus, nec alii homines, quibus verosimile est, testatorem voluisse omnimodo praestari relicta, sine testibus, admiscendi sunt. Expressa enim verba Nou. saepius adductae c. I. refragantur, quae ne CVIACIVS quidem iusto latius proferre potest, quamuis in Exposit. Nou. fecerit.

y) L. 21. et 28. §. 2. C. de testam.

z) NOV. CXIX. c. IX.

a) LEYSERVS Medit. ad Pand. CCCLXVII, 4, 5. annexo responso ICtorum Vitembergensium.

b) STRYKIVS Cautel. test. X, 20.



denique vero dispositio illa tantum obtinet, *εἰ κατὰ τὴν παλαιῶν συνήθειαν διαθῶνται*. Neque aliud testamentum, nisi, quod vulgo dicunt, *holographum* hic intelligi posse, caetera momenta euincunt. Est enim eorum, qui inter descendentes ita testantur, *tempus testamenti conditi accurate consignare, nomina liberorum, et portiones hereditatis sua ipsorum manu exprimere, omnique notarum genere, compendioque scribendi abstinere*. Quae cum ita a IVSTINIANO constituta sint, manifesti erroris arguuntur, qui parentibus quoque testamenti viua voce nuncupandi potestatem benigna interpretatione tribuunt, modo duorum testium testimonio confirmetur. In quo miror ipsum HEINECCIUM, ^{c)} hilarioris famae Ictum, humani quid passum esse, et cum caeteris, qui hanc sententiam fouent, ad *L. 12. D. de test.* prouocasse, quam LVDOVICI ^{d)} adeo recte interpretatur. Quorsum enim verba: *εἰ τις γράμματα ἐπισήμεος, προγράψει τὸν χρόνον, οὐκ εἰς χεῖρῖ, κ. τ. λ.* nisi mentem Imp. de testamento duntaxat scripto capiamus? ^{e)} Quodsi vero ea, quae hactenus exsecuti sumus, parentes rite obseruant, nec sollempni testium numero, nec rogatione, subscriptione et subsignatione opus est, quamuis cautionum ars contrarium suadeat, nec adeo, conuocatis etiam, quibuscum non est testamenti factio, contestationis vires franguntur. ^{f)} Hinc ratio accessenda est, quare eiusmodi testamenta *imperfectorum* nomine veniant, ^{g)} et NOV. CVII. adeo in Haloandrina inscribatur: *περὶ τῶν ἀτελῶν βελησῶν, καὶ τῶν εἰς παῖδας γενομένων νεμήσῶν*, licet Contiana, qua vtor, verbum *ἀτελῶν* omiserit, quod *additum esse ex post facto*

c) HEINECCIUS Infit. §. DIX. Pand. V, 83.

d) LVDOVICI Doctr. Pand. tit. de test. mil. §. IX.

e) Conf. RIVINI Disp. supra adducta §. V.

f) Vid. Praecell. BREVNINGII Spec. de test. non rogat. in testam. priuil. parent. Lips. 1766.

g) De qua re pluribus disputantem memini me legisse CVIACIUM Consult. I.



facto in veteri MS. margo testatur. *Risum teneatis, amici!*
Futurus causarum patronus eo audaciae progreditur, ut MSros
Codices laudet! Sic exclamantes audire videor, qui in spem
 humanioris iurisprudentiae suecreuisse se, solatiumque sibi
 persuadent. Hem! vos homunculi, in dulcissimo illo *Culto-*
rum Iurisfcienciae Elegantioris nomine Vobismet ipsis miri-
 fice placentes, indignamini, quandoque iuvenes, iurispruden-
 tiaē forensi sese consecraturi, vltra Lauterbachium, et Ordina-
 tionem Processus sapiunt. Patiamini, amabo, aequo animo,
 vt et nostrarum bibliothecarum foruli, praeter Actorum Vo-
 lumina, et Obseruationum Forensium Centones, politioris
 humanitatis quidquam capiant!

§. V.

Haecenus in vniuersum de origine, et finibus testationis *Frequens In-*
 imperfectae ascendentium inter descendentes regundis satis *terpretum Se-*
 disseruimus. Iam progredimur ad id, in quo summa dispu- *natus ad*
 rationis nostrae, atque caput versatur. Nam cum multa in *quaestionem*
 hoc testandi genere occurrant, quae, quamuis, inspectis le- *tractandam.*
 gum verbis, facili negotio diiudicari possint, tamen, variis
 variorum controuersis agitata, incerta fluctuant; tum sane
 haud scio, an vlla quaestio magis in diuersas partes egerit In-
 terpretes, quam quae nobis scribendi occasionem praebuit:
possintne liberi in tali testamento exheredes scribi? Adfirmare
 communem fere Doctorum opinionem, tradit HARTM.
 PISTORIS,^{h)} qui a RIVINOⁱ⁾ *ICTus, ob praeclare merita*
omni encomio maior celebratur. Quam vero numquam in ani-
 mum meum inducere potui, vt probarem, quidquid dixerint
 LAUTERBACHIVS, STRYKIVS, LVDOVICI, atque
 BOEHMERVS, quorum locos postea excitabo.^{k)} Placet
 B 2 potius

h) PISTORIS Quaest. Iur. I, 1.

i) RIVINVS in Praef. Enunc. Iur. praemissa.

k) Communi, sed, mea opinione, minus rectae, ne quid durius dicam,
 sententiae suffragari etiam TITIVM Iur. priu. VII, 10, 14. docuit me



potius, cum rationibus vincat, contraria sententia, quam multis etiam, iisque haud ignobilibus Iuris Interpretibus adrisse intellexi, inter quos eminent ANT. FABER, FRANC. HOTMANVS, supra iam laudatus, et ex popularibus REINH. BACHOVIVS, IOAN. SCHILTERVS, aliique. THOMASIO¹⁾ non liquet. Erunt fortasse, qui LEYSERVM, commune illud fori Saxonici oraculum, me omisisse, aegre ferant. Quem vero etsi ipse primum hanc quaestionem silentio praetermisisse mirabar; tamen mirari desinebam, cum subito, ac velut aliud agendo, in *corollaria* quaedam^{m)} inciderem, vbi *exheredatio*, inquit, *iuris naturae est*: vnde facile est ad intelligendum, quorum sententiae adsentiat. Quidsi vero *περὶ τοῦ ψεῦδους* LEYSERI,ⁿ⁾ *originem testamentorum iuri naturae rectissime adscribi*, a doctissimo quoque iam dudum explosum, reiciamus? Procul dubio tota Leyseriana opinio *rectissime* labefactata corruet. Quare nihil amplius negotii in sententia nostra tuenda vir illustris nobis faceffet: quantum reliqui, videamus.

§. VI.

*Argumenta
Strykii excu-
tiantur.*

Ac si quis omnium, STRYKIVS certe, strenuum causae suae, et quasi fortiter stantem patronum egit. Nam quam semel animo conceperat sententiam, *in testamento minus solenni non tantum instituere teneri liberos patrem, sed et potestatem habere, ingratos a successione per exheredationem excludendi*, tribus, quantum ego quidem scio, in locis,^{o)} totidemque

MENKENIVS in System. Iur. Ciu. sec. Pand. a Schoenio edito, tit. de test. mil. Qui, cum scribenti mihi ad manus haud fuerit, nescio, quare in societatem communis erroris venerit.

1) THOMASIVS ad Pand. tit. de test. mil.

m) Spec. CCCLVII. Medit. ad Pand. adiecta.

n) Spec. CCCLI. Medit. 2, 3. in medium prolatum.

o) STRYKIVS Cautel. testam. X, I§. XIX, 12. et ad Laurerb. Compend. D. XXIX. I. Ipse autem LAVTERBACHIVS non solum hic, sed etiam in Colleg. Theoret. Pract. Tom. II. p. 656. edit. nou. eandem sententiam, nulla ratione addita, amplectitur.



que rationibus constanter propugnauit. Ac primum quidem *contrariam sententiam, cum supponat, testamenta haec vnice in fauorem liberorum esse introducta, iuri non satis conformem esse opinatur.* In quo tantum abest, vt refragemur, vt potius, nisi fortiora argumenta essent in promptu, quibus sententiam nostram inniti persuasi sumus, patrocínio eius deserto, a STRYKII, et qui cum eo faciunt, partibus lubenter staremus. Nosne vero, vnus argumenti leuitate deterritos, statim totam causam perdere oportet? Minime vero. *At nullibi prohibitum est, vt in testamentis minus sollemnibus exheredationes fieri possint.* P) Sed ignoscat vir doctissimus, si idem ei occinamus, quod iam ipse est largitus, *nullibi dici, in tali minus sollemni testamento exheredari posse liberos, sed patri solam institutionem esse indultam.* Ohe! iam satis est. Nil habeo, quod regeram. *At enim parentum auctoritati hic consulendum, nec liberi ingrati fauore digni sunt.* Q) Quid igitur? Consulamus priuatorum auctoritati, ipsarum legum imminuta? Stet sua cuique in testando auctoritas, modo ne fraus fiat legi, qua vltimarum voluntatum vis, auctoritasque regitur. Neque ego ausim omnino dicere, liberos, quamuis ingratos, non esse fauore dignos. Quos enim etsi probe scio, ingrati in parentes animi turpitudine laborantes exheredes iure optimo maximo posse scribi; egregia tamen mihi videtur illa vox, qua SCHVLTINGIVS, *) Academiae Lugduno Batavae olim decus, parentes, qui subolem a legitima successione excludunt, obiurgauit. Sed suae ipsius opinioni diffusus, *prudenter, ac sollers cautionum artifex, securiusque parentes, liberos exhe-*

B 3

reda-

- p) Vnam eandemque rationem adtulit BOEHMERVS Introd. in Ius D. XXIX, 1, 16. Quare ne idem bis conuellamus, res suas sibi habeto.
- q) Est hoc argumentum ab aequitate petitum. De quo genere acute iudicauit castissimus iuris Romani Interpres, GERARD. NOODTIVS Comment. in D. tit. de inoff. test. Tom. II. Opp. p. m. 161.
- r) SCHVLTINGIVS Orat. de angusta innocentia hominis ad legem boni. Lugd. B. 1730. p. 41. Conf. CICERO pro Roscio Amerino C. XIX.



redaturos agere, si testamentum sollemne faciant. Exheredationis autem causam non minus fauorem complecti, quam institutionum, nisi me sensus fefellerint, nusquam in vniuersa disputatione Strykiana legi. Quare iniuriam nomini Strykiano infert BERGERVS, ^{s)} *hanc esse*, inquit, *praecipuam rationem, qua dissentiens STRYKIVS moveatur.*

§. VII.

*Ratio Ludoviciana re-
sicitur.*

Quo copiosius autem in redarguendo STRYKIO sumus versati, hoc breuius contortam illam ratiunculam expediemus, qua LVDOVICI, ὁ πᾶν, eandem sententiam calculo comprobauit suo. Ipsum vero, age, audiamus! *Quidquid*, inquit, *in fauorem parentum introductum, illud in eorum odium non debet detorqueri.* ^{t)} Et ita quidem elidere studet argumentum, quod STRYKIVS ^{u)} contra exheredationem in hoc testamento a fauore liberorum duxerat: de quo iam ante diximus, quid nobis videatur. Nisi vero me omnia fallunt, vterque in mente habuisse videtur notissimam illam iuris nostri regulam, quae L. 25. D. de legg. et L. 6. C. eod. continetur: quae quidem quam incommode huc trahatur, ex ipsis vtriusque capituli verbis liquet, quod iam vberius euincere non attinet. Deinde vero si rem accurate volumus, neque praconceptis opinionibus impediti diiudicare, equidem sane nescio, quid obstet, quominus censeamus, singulare illud ius, quod NOV. CVII. complectitur, aequè in liberorum, ac parentum gratiam a IVSTINIANO esse proditum. Parentum enim fauorem etsi lubenti animo largimur in eo cerni, quod, ceu ipse LVDOVICI eleganter loquitur, *ad scrupulosas*

^{s)} BERGERVS Oecon. Iur. II, 4, 6, 6.

^{t)} LVDOVICI Doctr. Pand. XXIX, 1, 3.

^{u)} STRYKIVS Syntagm. Iur. Ciu. XXXII, 19. vbi vide sis. MVLLERVM.



lofas testamentorum sollempnitates non adstringantur; tamen quid quaeso aliud in liberrima illa testandi licentia, parentibus olim concessa, restringenda Imperator secutus est, nisi ut omnis liberorum contentio euiteretur? ^{x)} Videat igitur L. D. V. I. C. I, ne quid honor, nomenque suum, laudesque detrimenti capiant!

§. VIII.

Iam vero, sepositis opinionibus Doctorum, quorum lau- *Sententiae*
 dibus nihil profusus censura nostra detractum cupimus, de *nostrae ra-*
 nostra sententia, qua exheredationem vnus, vel plurium li- *tiones addu-*
 berorum in testamento minus sollempni parentum, quamvis *cantur.*
 ob iustam causam, iure fieri posse, negamus, plenius est, ac-
 curatiusque nobis videndum. In quo quidem rem paullo al-
 tius repetere, operae pretium nos facturos esse arbitramur.
 Primum autem illud explorati est, atque indubitati iuris, he-
 redis tum institutionem, tum substitutionem, tutelae datio-
 nem, atque exheredationem sollempni testamento proprie ad-
 stringi, y) nisi vnum, alterumue genus certis casibus solum
 esse a rigore iuris communis, liberatumque constet. Ac mi-
 litari quidem iure quae conduntur testamenta, modo non
 per iocum, ut fit interdum, neque fortuito sermone, sed se-
 rio, ac deliberato animo, vna omnium, et consentiens legum
 Romanarum sanctio, quidquid demum complectantur, negle-
 ctis omnibus sollempnitatibus, lege definitis, rata esse iubet.
 In primis autem quod ad exheredationem attinet, militi, si
 liberos, vel sine vlla, vel certe non satis iusta causa, exhere-
 des scribere, aut, quos sibi natos esse scit, tacite praeterire
 libuerit

x) NOV. CVII. c. 1. *De μηδεναι φιλονικίαι τῶν πατρῶν καταλιμπάνειν.*

y) Quod quidem, cum sexcentis iuris Romani locis confirmetur, nemo, opinor, reperietur, qui negare audeat, nisi is esse, ac videri velit, qui, quod vulgo dicitur, nodum in scirpo quaerat.



libuerit, iure licet. ²⁾ Sed quam iis, qui iure militari testari queunt, legum gratiam factam esse scimus, non aequè tribui posse aliis, qui minus sollempniter testandi facultate fruuntur, sed, quibus quaeque ratio terminis circumscripta sit, dispendendum esse, Interpretes vno omnes ore fatentur. Iam igitur, vt ad causam nostram propius accedamus, illud est in quaestione, quam late adscendentium inter descendentes, sine vllis sollempnitatibus, facta dispositio pateat, hoc est, omnibus illis quatuor generibus, quae paullo ante constituimus, an vno dumtaxat, et altero contineatur? Quorum nihil, praeter institutionem liberorum, parentibus concessum esse, nisi clara NOV. CVII. verba cauilemur, constat. Ait enim vox Augusti: Πρός γε τῶν ἐγκλισμῶν, scilicet προγράψειν, quod ἀπό τῆ νόμῶν repetendum est, εἰς ἑξ γράφει κληρονόμους αὐτῶν, et paucis interiectis, εἰ δὲ καὶ πραγμάτων βέλοιο ποιήσασθαι διαλέσῃ, ἢ τισὶ πράγμασι ῥητοῖς πᾶσας ἢ τινὰ τῶν ἐνστάσεων περισήσῃ, καὶ τὰ τέτων ἐγγράφεται γνωρίσματα. Vult igitur, dum parentibus sollempnitates remittit, liberos heredes scribi, institutionesque fieri: de exheredatione autem altum est in vniuersa lege silentium. Quare iam caput illud est, num ab institutione liberorum conclusio valeat ad exheredationem? aut an sub illa haec comprehendatur? Quorum alterum quisque statim intelligit praeceptis Dialecticorum repugnare, quibus a specie ad speciem, seu, vt iuris studio si loquuntur, a genere ad genus concludi nequit: alterum vero comparationi, seu analogiae iuris, sollempnique legum loquendi rationi aduersari. Vtuntur enim iuris auctores, ac principes, vtriusque rei mentionem facturi, eo semper enunciationum genere, quod in scholis Rhetorum pariter, atque Dialecticorum *disiunctio* audit. Atqui cum Iustiniana constitutio liberos modo institui, omissis sollempnitatibus, permittat;

2) §. 6, Inst. de exhered. lib. L. 10. C. de test. mil.



mittat; nobisne, quibus obsequii gloria relicta est, ab vno genere ad alterum colligere, aut coniungere iure civili disiuncta licebit? Credat, quisquis velit: nondum credo. Nisi Imperatorem, plenum alioquin in legibus ferendis, atque vberem, breuitatis studio, recessisse a disiuncta loquendi ratione, ac sub institutione exheredationem simul comprehendisse, statuamus. Quos quidem serio ita sentientes dubium non est, quin vel mediocriter in his literis, praesertim in iure Iustinianeo, proprie sic dicto, versatus, suauiter rideat. Neque nos conturbat PAVLLI^{a)} auctoritas, graduque, quem semel cepimus, deiicit, dum *saepe ita comparatum esse, ait, vt coniuncta pro disiunctis accipiantur, et disiuncta pro coniunctis*: quem locum, vt omnia, quae de verborum et rerum significatione in Pandectis exhibentur, capita, interpretationis luce egregie collustravit GOEDDAEVS.^{b)}

§. IX.

Iam porro illud satis constat, nec quemquam, nisi literarum civilium plane ignarum, ac rudem fugit, quod SCAEVOLAM in peroranda causa adfirmasse idem PAVLLVS^{c)} dicit: *aliam causam esse institutionis, quae benigne acciperetur: exheredationes autem non essent adiuvandae.* Verbum *adiuvandi* autem in scholis Ictorum eam vim habet, vt significet: *interpretando extendere.*^{d)} Quodsi igitur ea est omnino exheredationis natura, atque indoles, vt maxime restringi debeat, adeo quidem, vt nec ob alias, quamuis iis, quas IUSTINIANVS NOV. CXV. determinavit, atrociores causas

a) L. 53. D. de V. S.

b) GOEDDAEVS ad l. c. p. 554. seqq.

c) L. 19. D. de lib. et post.

d) Vid. DVARENVS in tit. D. de lib. et post. C. III. P. I. Opp. p. m.



causas obtineat, velint nolint **HUBERVS**, ^{e)} **HEINECCIVS**, ^{f)} aliique; quo tandem pacto rem, odii plenissimam, ad causam, fauorem concernentem, quasi contra naturam sui generis, porrigamus? Quid porro? quale illud esse dicam, quod totus hic locus privilegium, siue potius, vt accuratiores loquuntur, ius singulare, ^{g)} complexus, non aliam, nisi strictam interpretationem patitur: id quod **BERGERVS**, ^{h)} in primis, ac **BAVERVS** ⁱ⁾ vrgent. Interpretationis enim leges semel transgressi, quid impedit, quo minus patri, inter liberos minus sollempniter testanti, etiam impuberibus, siue institutis, siue, vt aduersarii sibi persuasum habent, exhereditatis, tutorem constituendi, ac, si intra pubertatem decesserint, substituendi ius tribuamus? quod, quantum ego quidem scio, nemo est ad hunc vsque diem contendere ausus, nec, saluis legibus, quisquam potest. ^{k)} Parentes enim, quamuis a sollempnibus iuris immunes, nihilo minus in ipsa adeo liberorum institutione, neq̄dum in aliis generibus, arctioribus limitibus, quam in testamento sollempni, circumscriptos esse, vel ex necessitate

e) **HUBERVS** Prael. Inst. tit. de lib. exhered. §. X. seqq.

f) **HEINECCIVS** Inst. §. DXXXII. Quem errorem non errasset, si **NOODTIVM**, loco supra laudato p. 160. seq. quam **Huberum**, audire maluisset.

g) Quamquam enim privilegii aequae, ac iuris singularis eadem est interpretandi ratio; permagnum tamen discrimen inter vtrumque intercedere, luculenter demonstrarunt **CVIACIVS** Obs. XV, 8. **GOTHO-FREDVS** ad R. I. 162. **STRAVCHIVS** Diff. de const. princ. 28, 29, 30. et Diff. ad Ius Inst. priu. I, 8. vbi **THOMASIVS**, in iure Romano saepe infelix, hallucinatur. Optime autem hanc differentiam exsecutus est **FRANC. CAR. CONRADI** ad Iul. Paulli, ex libro sing. de iur. sing. Reliqua, Lips. 1728.

h) **BERGERVS** loco supra adducto.

i) **BAVERVS** Diff. de eo, quod iustum est circa form. exh. Lips. 1731. §. V.

k) Legi merentur, quae de tutela, in testamento imperfecto non danda, auctoritate legum, disputauit saepe laudatus **NOODTIVS** in D. tit. de test. tut.



re adscribendi temporis, vt supra vidimus, patet: qua, qui sollemni ritu testantur, nusquam legimus teneri. Quod minus recte intellexit HERALDVS, excitatus a SCHVLTINGIO,¹⁾ atque eo nomine iure reprehensus.

§. X.

Stat igitur sententia, auctoritate IVSTINIANI ^{Sententiae} ^{aliorum, qui-} ^{bus eadem} ^{opinio sedet,} ^{expenduntur.} ^{fulsa,} ope Dialectices probata, comparationeque iuris corroborata, exheredationem liberorum ad testamentum minus sollemne parentum non esse porrigendam. Nunc, velut per indicem, recensum eorum instituere iuvat, quos, etsi alius aliter rationes subducatur, tamen, quod ad caput ipsum, in in quo pertractando versamur, attinet, amicissime nobiscum conspirare scimus, vt sic, collatis inter se opinionibus, et allatarum, quibus quisque inducitur, rationum pondere, quae verior sit, atque firmior, iniri ratio possit. Quorum quidem primum producimus ANT. FABRVM,^{m)} bonam causam male defendentem, adeo, vt in perstringendis Pragmaticorum erroribus in deuia ipse delabatur. Namque suam de exheredatione liberorum, in dispositione parentum non facienda, sententiam ita probat, *quod hoc genus non valeat iure testamenti, sed tantum ab intestato sustineatur.* Iam vero quid est, quare iure testamenti valere eam rationem, infutire? *Quod liberi in ea exheredari nequeunt.* Quae nisi est, quid sit demonstratio in orbem, quam *petitionem principii* vocant, sane nescio. Sed hunc opinionis errorem iam copiose ac docte retudit BACHOVIVS,ⁿ⁾ quem RIVINVS,

C 2

NVS,

1) SCHVLTINGIVS Iurispr. Anteiust. p. 801.

m) FABER de error. Pragmat. XXXV, 3. XXXVI, 5.

n) BACHOVIVS ad Treutl. Vol. II. Disp. X. Thef. VI. Lit. H. Ipse autem sententiam de liberis, in eo testamenti genere non exheredandis, ab ipsorum fauore, quem hoc ius respiciat, repetendam esse censet.



NVS ^{o)} prae oculis habuisse videtur. Quare iterum iam actum tertium non agam. Media via fatius ducit in defendenda causa ingredi SCHILTERVS, ^{p)} ratus, *hanc speciem non presse dici testamentum, cuius effectus sit successio alia, quam quae ab intestato defertur: sed mediam habere naturam, et esse speciem ultimae voluntatis, qua modus ab intestato succedentibus liberis praescribatur.* Quae quidem media natura ingenue fateor me non intelligere, qua ratione exheredationem in hoc testamento excludat. Neque in argumento proferendo felicius est modo laudatus RIVINVS, ^{q)} dum ad affectum praesumptum, aequalemque dilectionem liberorum confugit. BERGERVS autem, et BAVERVS quare nobiscum consentiant, paullo ante vidimus. Hac igitur opinionum varietate commotus, GOTFR. RICHTERVS, V. C. hunc illustrem iuris civilis locum singulari libello delibavit, atque argumenta, ex ambitu iuris petita, daturus, praeter vnum, nullum amplius dedit ^{r)}: de quo non video, quid obster, quominus sententiam libere dicamus. Primo igitur, de vera causa testationis imperfectae parentum inter liberos nimium philosophando, prolapsus est in errorem OISELII, viri aliquin nostra laude maioris, et aliorum, *legem Decemviro- rum perfectum hereditatis paternae liberis dedisse: quem refutavit SCHVLTINGIVS, ^{s)} eosque ipso iure, lege naturae, ait BERGERVS, heredes esse, Decemuiros credidisse, probavit.* Ex hoc, tamquam fonte, postea V. C. rationem suam
ita

o) RIVINVS Disp. saepe adducta §. IV.

p) SCHILTERVS Prax. Iur. Rom, in For. Germ. XXXVIII, 129. Tom. II. p. m. 493.

q) RIVINVS §. XX.

r) RICHTERVS C. V. et VI.

s) SCHVLTINGIVS Iurispr. Anteiust. p. 95. Conf. de veteri successione ab intestato RITTERSHVSIVS Dodecadelt. III, 2, 20. seq.



ita deriuat: quodsi ergo hoc ius filio eripiendum sit, noua accedat lex opus est. Legem vero nouam haud dicas patriam voluntatem illam priuilegiatam, cum desint sollemnia, quae in lege ferenda obseruanda veniunt. Vbi enim populus, qui consentit? ubi populi rogatio? ubi abrogatio XII. Tabularum? Haec vero quis non statim intelligit esse nugatoria? Finge enim IVSTINIANVM legem nouam tulisse sic: εἰ τις γράμματα ἐπιστάμενος, μεταξύ τῶν αὐτῆ παιδῶν, ἢς ἢ κληρονόμους γράφει, ἢ ἀποκληρονόμων ποιῆι, βέλοῖτο ποιήσασθαι διατύπωσιν quidni pater iure optimo maximo liberos tum heredes scriberet minus sollemniter, tum exheredes faceret? cuius etiamsi RICHTERVS fortiter neget minus sollemnem vltimam voluntatem esse legem, nec consensum populi, nec rogationem adesse, clamet. Vtraque enim tam institutio liberorum, quam exhereditatio, sine sollemnitatibus facienda, ab arbitrio legislatoris, cuius saepe stat pro ratione voluntas, pendet, vimque sortitur suam. Sed, qui breues nos fore pollicebamur, nimis longi fuimus in recensendis ac vituperandis aliorum sententiis: quarum si quis non dubitet vni, vel alteri adhuc inhaerere; stet quisque sua: ego mea.

§. XI.

Dictum est haecenus, ac fufe disputatum de exheredatione ob ingratum liberorum animum, non, nisi ad sollemnem testandi rationem referenda. Est vero, vti constat, adhuc aliud exheredationis genus, iure ciuili permissum, quod, vt ^{Idem sententiam est de exheredatione bona mente facta.} VLPPIANVS ¹⁾ loquitur, non mala mente fieri dicitur. Sed ne hoc quidem, ob iuris singularis, quod NOV. CVII. continet, rationem, in eiusmodi vltima voluntate fieri posse, inter

C 3

omnes

1) L. 22. §. 2. D. de bon. libert.



omnes, quos legimus, vnus BERGERVS ^{v)}) contendit. Ne-
Exhereditio, mala mente in hoc testa- mento facta, querela nulli- tatis eliditur. que nobis aliter videtur. Sed, quidquid huius quaestionis sit, iam missum facimus, modum impugnandi talis testamenti, in quo liberi ingrati, in fraudem Constitutionis Iustinianae, exheredes scripti sunt, inuestigaturi. Ac sicut liberi, sollempniter quidem, sed iniuste exheredati, testamentum querela inofficiosi rescindunt; ita exheredes, ex iusta causa, atque a caeteris facili negotio probanda, sed, omiſſis testamento- rum sollempnitatibus, iuſſi, testamento querela nullitatis infirmato, exheredationem, non rite ac iure factam, elidunt. ^{x)}) Quodcumque enim testamentum ob defectum sollempnitatum internarum et externarum non subsistit, eadem testamenti nulli querela impugnari, Iustiniani noui discebamus. Quidſi vero parens codicillorum clausulam testamento inseruerit? Quid tum postea? Iidem enim, qui iam ab intestato succedunt, cum testamento heredes scribantur, qui salutaris illa clausula, cui immane quantum tabellionum natio tribuit, vim vllam habere potest? Quam neque huic testamento tacite inesse, credendum est, quo errore multi occoecantur, quibus GIPHANIVM ad L. *ſin. C. de Codicill.* dicam scripsisse, ex RITTERSHVSIO ^{y)}) cognoui. Ipsum enim nec habeo, nec legi.

§. XII.

Vſus forenſis.

Reſtat, vt, quam ſententiam vſus fori, iudiciorumque auctoritas confirmet, paucis expediamus. Quantumvis enim quidquam expediti iuris ſit; quaerunt tamen, nec immerito, *an vſu fori ſeruetur?* Atque olim quidem hanc, quam defendimus

^{v)} BERGERVS I. c.

^{x)} L. i. D. de inuſt. rupt. irr. teſt.

^{y)} RITTERSHVSIVS ad Nov. CVII.



dimus sententiam, in foro receptam fuisse, taleque testamen-
tum, quibusdam liberis exheredibus, inualidum ter et am-
plius *Dominos* iudicasse, vos, iudiciorum olim decora, ac ho-
dierni fori oracula, CARPZOVI, ²⁾ WERNHERE, ^{a)}
MULLERE, ^{b)} BERGERE, ^{c)} atque MENKENI, ^{d)}
testes estote! Sic olim: an etiamnum? non definitio. Nihil
enim tam incertum est, quam rerum iudicatarum auctori-
tate niti.

§. XIII.

Haec habui, quae de exheredatione liberorum in testa-
mento parentum minus sollempni, quantum ingenio adsequi,
quantum conniti iudicio licuit, differenda putarem. Spera-
mus, fore, qui hunc libellum, tamquam minus sollempnem in-
genii partum, in ipso mercatus vernalis strepitu editum, se-
rena fronte excipiant. In quo inprimis laetabimur, ac nobis-
met ipsis impense gratulabimur, si cognouerimus, hanc qua-
lemcumque opellam non displicuisse magnis nostris in per-
agrandō iurium ambitu ducibus, auctoribusque summis, Ma-
gnifico ac Summe Venerando HOMMELIO, ZOLLERO,
et, a quorum suauissimo ore praesertim in iis literis, quae ad
humaniorem iuris ciuilibus disciplinam spectant, pependimus,
Duumuiris Praecellentibus ac Iurisconsultissimis, BREVNIN-
GIO atque SAMMETO: quibus Viris nos tantum debere
grati profitemur, quantum, si a Deo O. M. fidelissimisque
parentibus disceserimus, debemus nemini. Si qui vero sint,
vt erunt, maleuoli obrectatores, quibus stomachum moueat,
iis

2) CARPZOVIUS Iurispr. forens. III, 4, 21.

a) WERNHERVS Sel. Obs. Forens. V, 210. seq.

b) MULLERVS ad Struu. tit. de test. mil. §. XIX. lit. μ.

c) BERGERVS l. c.

d) MENKENIVS System. Iur. Ciu. per Schoenium tit. de test. mil.



iis libellum quantum cumque nostrum, tamquam insignem ad deformitatem puerum, cito tollendi ius esto. Nam suum quisque habet iudicium. Caeterum, ne peroratio huius dissertationis, contra morem saeculi, versiculis quibusdam careat, quod praefatus est TERENTIUS Eunuchus suo, id nos in calce simpliciter dictum volumus:

Si quisquam est, qui placere se studeat bonis

Quamplurimis, et minime multos laedere,


In his DEFENSOR nomen profitetur suum!



Leipzig, Diss., 1768 P-Z

X 241 7957





B.I.G.

Farbkarte #13

Centimetres



Pri. 56. xiii. 11.

1768/58.

23

IVRIS CIVILIS

HEREDIBVS

MINVS SOLLEMNI

N TVM

M -
ITATE

ORVM ORDINIS

IDE

OTTL. ZOLLERO

ARTISB. CAPIT. CVRIAE IN
T. INFERIOR. ORD. ICTORVM
LIPS. DECEMV.

O ICTORVM

CICIDCCCLXVIII.

EFENDET

TTL. RICHTERVS

CHOENBVRGICVS.

IAE

ANGENHEMIA.

